



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 75. Florentini Venetorum fidem Pontifici suspectam reddere tentant

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV sponsum a pluribus accepit, venisse se
 A.C. 1463. duntaxat ad audienda ipsius Pontificis
 consilia, ut ea dein suis Dominis refer-
 rent. Veneti vero jam se bellum Maho-
 meti indixisse significabant, & non ita
 pridem partem Peloponesi Turcis eripuif-
 se, seque in nulla re Pontifici defuturos
 ajebant.

§. LXXV.

*Florentini Venetorum fidem Pontifici
 suspectam reddere tentant.*

Florentini, quibus suspecta erant omnia,
 quæ Venetorum æstimationem atque
 potentiam augere videbantur, clam Pon-
 tifici persuadere nituntur, ut sineret
 Venetos solos cum Turcis, uti coepe-
 rant, agere; hac enim via inquiebant,
 Italiam tam a Turcis, quam a Venetis,
 qui ibidem dominatum, ac supremum
 imperium pro suo arbitrio exercere
 tentant, quietam fore, eoquod ipsi, cum
 ejusmodi bellum sat diuturnum foret, fa-
 cile sese mutuis cladibus consumpturi es-
 sent. Ast hoc consilium summe detesta-
 batur Pius Pontifex, ac prolixo sermone
 demonstrabat, illud non modo inane, sed
 ipsis etiam Florentinis maxime pernicio-
 sum fore, solosque Venetos Turcis reprimendis
 haud pares esse, quin imo, ad-
 debat Pontifex, nullo ferme negotio a
 Turcis

Turcis opprimi poterunt, non sine gravi Sæcul. XV.
 Christianæ Reipublicæ dispendio; non A. C. 1462
 enim Venetorum potentia frangi potest,
 quin simul tota Italia communi cum eis
 ruina pereat. Unde longe fatius est,
 quod Veneti, cum Ecclesiæ filii sint, Vi-
 ctiores evadant, quam si Turcæ jurati Chri-
 stiani nominis hostes vincant, præcipue
 cum Veneti, quamvis Mahometis exer-
 citum penitus delerent, nihilominus nec-
 dum Italiam subigere possent, eoquod
 multis adhuc modis ejusmodi molimina
 impediri valerent. Florentini hisce ra-
 tionum momentis expugnati, pari cum
 ceteris studio sua quoque auxilia confer-
 re, ac pro proximo in Turcas bello ne-
 cessarias suppeditare expensas polliciti
 sunt.

§. LXXVI.

*Consultatio secreta de mediis
 aggreudiendi bellum.*

Post hæc convocatis ad secretum Sena-
 tum Cardinalibus, actum de mediis,
 quibus belli consilia ad optatum exitum
 deduci possent. Ibidem summus Ponti-
 fex exposuit, quod jam a primis Ponti-
 ficatus sui auspiciis maximo flagraret de-
 siderio, ut Religionem contra Turcas de-
 fendere valeret. His præmissis inquie-
 bat, ferme omnia, que hucusque obsta-
 bant,